

Unde Plinius longissimum non nisi C. & LXXX. dierum esse asserit.
Et is, qui sub Nerone visus est, quiqve longissimi ævi Astrologis est
habitus, sex duntaxat menses conspicuus fuit: qui interim vix medi-
am Cœli partem (ζ.) percurrit.

(ζ.) Consentiant hic *Anton. le Grand. & Jac. Robaultus.* Hic p. 461. Ille p. 129.
locis cit.

§. IX. *Josephus* quidem *Libro VII. de Bello Judaico c. XVII.*
scribit, paulò ante excidium Hierosolymæ per totum annum *Cometam*
Xiphiam urbi illi imminentem conspectum esse: Sed respondet
Brabeus Tom. I. *Progymnasm.* p. 330. & 626. & existimat: Cometam
illum non fuisse *naturalem*, sed *extraordinarium*, & quasi supernatu-
rale portentum ad terrendos Judæos divinitus accensum. Sic enim
potuisse imminere urbi, & non rari, ut Peripatetici de aliis autu-
mant, à primò Mobili, & terrere potius Judæos, quàm alias nationes,
ac demum toto anno perseverare.

CAPUT IV.

De

CAPITE COMETARUM.

§. I,

Cometæ partitio in *Caput & Caudam* intellectu facillima est.
Nam *Capitis* nomine ipsum corpus seu materia Cometæ compa-
cta: *Caudæ* verò vocabulo radii Solares, corpus istud penetrantes, ac
in tenuiori materiâ hærentes, communiter vocantur.

§. II. De *Capite* hoc locò: de *Caudâ* inferius agendum est.

§. III. Putamus autem *Cometæ Caput non globosum*, sed *disci-*
forme esse: quod sequenti argumento probamus:

Quicquid instar nostrarum exhalationum & evaporationum terre-
strium nubiumqve in corpus quoddam extensum, explanatum,
lateqve divisum in æquale plerumqve & discretum coit & con-
fluit, id disciforme potius, quàm globosum corpus est.

Atqui Cometæ Caput instar nostrarum exhalationum &c. E.
Majorem confirmat *ἀνοψία*. Minor probatur. Conveniunt enim
Cometæ certâ corporis sui crassitie cum nubibus & maculis Solari-
bus, imò in aliis, quod accuratè exponit Hevelius (α). At hæ nubes
& maculæ nequaquam in perfectam Sphæram coalescunt & conden-